

»sed tamen futura est, quia ego, inquit Dominus, locutus sum, et
»faciam sicut pollicitus sum.»

Augustinus autem (1): «Has res didicimus esse venturas:
»Eliam Thesbitem, fidem Judaeorum, Antichristum perse-
»cuturum... Quae omnia quidem ventura esse credendum est.»

Origenes, apud Hieronymum (2) eadem docet, et confir-
mat auctoritate Apostoli.

19. Obj. 1.º Apud Danielelem (3) dicitur: *Non erit ejus popu-
lus, qui eum negaturus est.*

Resp. Dist. Dum judaei in negatione permanserint; conc. Cum
iterum crediderint, non erunt Christi populus; nego. Ita Apos-
tolus (4): *Sed et illi, si non permanserint in incredulitate,
inserentur: potens est enim Deus inserere illos. Nam si tu ex natura-
li excisus es oleastro, et contra naturam insertus es in bonam olivam:
quanto magis ii, qui secundum naturam, inserentur suae olivae?*

Obj. 2.º Legitur in Act. Apostolorum (5): *Dura cervice et
incircumcisis cordibus, vos semper Spiritui S. resistitis; sicut pa-
tres vestri, ita et vos.* Ergo numquam convertentur.

Resp. Dist. *conseq.* Dum non circumcidantur eorum corda, non
convertentur; conc. Aliter; nego. Vide Deuteronomium (6).

Obj. 3.º Ipsa Sion dixit per Isaiam (7): *Dereliquit me Domi-
nus, et Dominus oblitus est mei.*

Resp. Dist. et explico: ad tempus, dereliquit eam; conc.: in per-
petuum; nego: quod est ex contextu manifestum.

Obj. 4.º Messias, ibidem, ait (8): *Dicit Dominus, formans me
ex utero servum sibi, ut reducam Jacob ad eum; et Israël non
congregabitur.*

Resp. in praedicatione ipsius Messiae, non congregabitur
Israël; conc. Numquam, nego.

Inst. Per Oseam (9): jussit Deus appellari populum illum:
*Absque misericordia, et Non populus meus; quia vos non populus
meus, et ego non ero vester:* Ergo in aeternum reprobatus est.

Resp. Dist. *conseq.* Populus ille, quatenus constituebat regnum
illud Israël a regno Juda separatum; conc. Absolute, quasi
filii Israël numquam sint sub regno Messiae congregandi;
nego.

(1) *De Civit. Dei* l. 20, c. ult. n. 5. — (2) Tom. 2, edit. Maur. Tract. 1, in Cant.
in illa verba; «*Nigra sum...*» — (3) IX, 26. — (4) Rom. XI, 23, 24. — (5) VII, 51.
— (6) XXX, vv. 1-6. — (7) XLIX, 14. — (8) XLIX, 5. — (9) I, 6, 9.

THESIS VI.

Messias promissus reconciliaturus erat homi-
nes cum Deo, peccata deleturus, et viam edoc-
turus justitiae et sanctitatis.

20. Est doctrina fidei.

1.º In Symbolo Constant. dicitur de Christo: «Propter
»nos homines et propter nostram salutem descendit de coelo...» Et
Florentinum in Decr. *pro Jacobitis*: «Humani generis hostem.
»peccata nostra delendo, solus sua morte prostravit, et regni coe-
»lestis introitum reseravit.»

2.º Dixit Christus (1): *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos...
Quorum remiseritis peccata remittuntur eis. Euntes docete omnes
gentes... Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Et rursus (2):
*Non misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum; sed
ut salvetur mundus per ipsum.* Sic Christum praedicavit Petrus (3):
*Certissime sciat omnis domus Israël, quia et Dominum eum et
Christum fecit Deus, hunc Jesum, quem vos crucifixistis... baptize-
tur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem
peccatorum vestrorum.*

Paulus autem ait (4): *Benedixit nos in omni benedictione spiri-
tuali in coelestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi
constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in
charitate.* Item (5): *Qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia
et sanctificatio et redemptio.* Et alibi: *Tradidi enim vobis in primis
quod et accepi: quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris se-
cundum Scripturas.*

21. 3.º Zacharias prophetavit (6): *Juravit ad Abraham pa-
trem nostrum, daturum se nobis, ut serviamus illi in sanctitate et
justitia coram ipso, omnibus diebus nostris.*

Isaias (7) ait: *Et erit in novissimis diebus... ibunt populi multi
et dicent: Venite et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei
Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus:
quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.* Et ite-
rum (8): *Haec dicit Dominus: Ecce ego mittam in fundamentis Sion
lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum... et delebitur foe-
dus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inferno non stabit.
Deinde (9): Consolamini, popule meus, dicit Deus vester: loquimini
ad cor Jerusalem, et advocate eam: quoniam completa est malitia ejus'*

(1) Joan. XX, 21, 23; Matth. XXVIII, 19; Marc. XVI, 16. — (2) Joan. III, 17. —
(3) Act. II, 36, 38. — (4) Eph. I, 3, 4. — (5) I Cor. I, 30; XV, 3. — (6) Luc. 73-75.
— (7) II, 2, 3. — (8) XXVIII, 16, 18. — (9) XL, 1-3.

dimissa est iniquitas illius... Vox clamantis in deserto: parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri... etc. Videas quoque caput LIII et LXI, ac LXII.

Similiter praedixit Jeremias, ut in c. XXXI v. 31; et alibi passim. Ezechiel; c. XVI, v. 60; et c. XI, vv. 19, 20; et item c. XXXVI, vv. 23, 24... et c. XXXVII, vv. 21-28. Zacharias etiam, praesertim c. XII et XIII.

Daniel (1) denique ait, quod in Christi adventu eveniet, *ut consummetur praevericatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna.*

22. Obj. 1.º Testatur Propheta (2) et confirmat Apostolus (3), quod omnino inutiles facti sunt homines ad Deum recte agnoscendum, et justitiam operandum: ergo ad rem impossibilem venisse Messiam non est credendum.

Resp. Dist. seu explico *Ant.* Viribus naturalibus perpensis ac proprio hominum demerito; conc. Per fidem et gratiam; nego.

Obj. 2.º Dixit Christus D. (4): *In viam Gentium ne abieritis: Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israël.* Ergo videtur Messias peccata gentium non deleturus.

Resp. cum Hieronymo haec exponente; «Non quo ad gentes non missus est; sed quo primum missus est ad Israël, ut illis non recipientibus Evangelium, juste fieret ad Gentes transmigratio.»

THESIS VII.

Messias futurus erat Propheta.

23. 1.º Christus D. de se dixit (5): *Non est propheta sine honore nisi in patria sua.* Discipuli autem ajebant (6): *De Jesu Nazareno, qui fuit vir Propheta...*

2.º Moyses, de Christo prophetans ait (7): *Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies.* Quae quidem de Christo fuisse praedicta, affirmavit Petrus, ut rem Judaeis omnibus notam: (Act. Ap. III, 22). Hinc Judaei expectatum Messiam, Prophetam simpliciter appellabant (8): *Quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum: αληθῶς ὁ προφήτης ὁ ἐρχόμενος εἰς τὸν κόσμον.* Et Philippus dixit Nathanaëli (9): *Quem scripsit Moyses in Lege, et Pro-*

(1) IX, 24.—(2) Ps. XIII.—(3) Rom. III, 10-18.—(4) Matth. X, 5; XV, 24.—(5) Ibid. XIII, 57.—(6) Luc. XXIV, 19.—(7) Deuter. XVIII, 15.—(8) Jo. VI, 14.—(9) Ibid. I, 45.

phetae, invenimus Jesum Filium Joseph a Nazareth: scilicet, quem in Deuteronomio praedixit Propheta.

24. 2.º Hieronymus (1): «Est quippe (Christus) sicut alia multa, sic et Propheta. Ut est princeps sacerdotum, ut est Salvator, ut est medicus, similiter et Propheta est. Moyses annuntians de eo, non solum Prophetam, sed admirabilem inter cunctos nominavit Prophetam, dicens: *Prophetam ex fratribus vestris suscitabit vobis...*»

Quae quidem Moysis verba de Christo intelligenda ostendit Eusebius (2): «Num igitur ex iis, qui post Moysen extiterunt prophetae, Esaias, ex. gr., aut Hieremias, etc. aut alius quispiam de ceteris, legum auctor Mosi conferendus extitit? nequaquam. Sed ex illis tandem, quis unquam Mosi similia effecit? Nusquam poteris dicere... Atqui Moses de uno dumtaxat, certe ac definite loquitur. Quemnam igitur alium Mosi similem futurum Prophetam canit oraculum illud, nisi Salvatorem et Dominum nostrum Jesum Christum?» Deinde exponit plurimas Christi cum Moyse similitudines, et tandem ait: «Constat igitur divinum Spiritum per Moysen de Salvatore nostro cecinisse.» Pariter de solo Christo ibi sermonem esse, docent Procopius eum commentans locum; Chrysostomus (3), Justinus, Irenaeus, Tertullianus, Clemens Alex., Athanasius, et PP. communiter, quos laudat Lorinus in Commentariis in Deuteronomium. Unde jure dicit hic Commentator, ibi, quod nota temeritatis, et majore, digni sunt, qui de Christo praesentem Deuteronomii locum accipere detrectarent, sive sensu literali, sive allegorico, qui tunc vim ad probandum habet, quando communiter eodem modo recipitur.

25. Obj. 1.º De ratione prophetiae est, ut obscure res praedictas propheta dignoscat. Sed id Christo convenire non potest: ergo cum proprietate Christus propheta esse nequit. Ita Abulensis (4).

Resp. Nego *Maj.* cum D. Thoma (5), Suarez, Vazquez, Valentia, etc. E contra. ait D. Angelicus, tolli per prophetiam obscuritatis et ignorantiae velamen; nempe, propter aliquam, qua efficitur, claritatem. Suarez autem docet (6), cognitionem propheticam in Christo non distingui a cognitione supernaturali, scilicet, visione beatifica ac scientia infusa; de quibus inferius agendum. Sufficit autem ut Propheta annuntiet, ac supernaturaliter cognoscat, quae ab ipso, juxta statum suum, et ab

(1) In Jerem. hom. 1.—(2) *Demonstr. Ev.* l. 3, c. 2.—(3) Hom. *Quod Christus sit Deus.*—(4) In Num. XI, q. 64; in Deuter. c. XVIII, 15.—(5) P. 3, q. 7, a. 8.—(6) In 3.^m p.^m q. 7, a. 8, disp. 21.—(7) In 3, p. q. 7, a. 8, disp. 21.

aliis longe distant. Quod quidem Christo conveniebat secundum statum viatoris.

26. Obj. 2.^o Moyses, in laudato Deuteronomii testimonio, de illis loquitur Prophetis, quos populus ordinarie audire et consulere debebat. Sed talis non erat Christus, seu Messias venturus; ergo illud testimonium de Christo non est intelligendum. Major prob. Dicitur a Moyse in v. 14: *Gentes istae, quarum possidebis terram, augures et divinos audiunt: tu autem a Domino Deo tuo aliter institutus es. Prophetam de gente tua et fratribus tuis sicut me...* etc. Deinde norma datur, ad discernendum verum a falso propheta: *Hoc habebis signum: quod in nomine Domini propheta ille praedixerit, et non evenerit; hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confixit.* Jam vero haec clare indicant, nomine Prophetae illius, indicari quoscumque prophetas a Deo ad populum missos.

Resp. 1.^o Nego *maj.* cum pluribus interpretibus, ac Patribus supra laudatis. Ad probationem autem dico; ad augures et divinos non opposuisse Deum quoslibet a se mittendos prophetas; alias significasset Moyses, semper extituros veros Dei prophetas ad quos consulendos venirent judaei, non ad augures; sed opposuisse Messiam pro tempore quo venturus erat, et ipsum Moysen pro duratione Legis: debebant enim semper ac constanter doctrinae Moysis et Messiae adhaerere, divinos autem et augures vitare. Quae autem sequuntur ad discernendum falsum prophetam a vero, non indicant priorem sententiam quoslibet respicere prophetas; sed regulam tantum exhibent, qua possint judaei divinos et augures, seu falsos prophetas, quos fugere tenebantur, dignoscere. Quod vero semper, vel certis temporibus, mittendi ad illos forent alii prophetae Domini, non promittitur in hisce verbis.

Resp. 2.^o Dist. *maj.* Loquitur Moyses *principaliter et explicite* de prophetis a Deo mittendis, quos audire populus debebat; nego: secundario et implicite; conc. Scilicet, prophetae illi, tempore Legis, Christum referebant, et per eos Spiritus Christi loquebatur, uti Petrus exponit et declarat (1); et, ut ait Paulus (2): *Omnes eundem potum spiritalem bibebant: bibebant autem de spiritali consequente eos petra: petra autem erat Christus.* Inde conciliabitis interpretum varias sententias, quin recidas in reprobata superius Abulensis opinionem, qui vult Christum ab ea Moysis prophetia rejicere.

(1) I Petr. I, 11. — (2) I Cor. X, 4.

SCHOLION.

27. Messiam promissum, non tantum Prophetam, sed etiam Sacerdotem et Regem futurum fuisse, posset hic ostendi; verum quia deinde de Christi D. excellentia agendum erit, ejusmodi Messiae munera fusius declarabimus. Interim quoad Messiae Sacerdotium legi potest Epistola D. Pauli ad Hebraeos (1), nec non Psalmus 109: de potestate autem regia, refert Matthaeus Judaeorum testimonium (2), nec non ipsius Christi (3); eamque describunt plures Prophetae, praesertim Tobias (4), et Zacharias (5), et Malachias (6), et Isaias (7).

ARTICULUS III.

De aliis Messiae characteribus.

Munera Messiae in praecedenti capite vindicata, possunt etiam Notae, saltem negativae, ad illum cognoscendum appellari. Verum alios nobis suppeditant SS. Litterae Messianicos characteres, qui pressius Notae ipsius propriae dici possunt, quos breviter explicabimus.

THESIS VIII.

Messias ex Abraham, Isaac, Jacob, Juda et David nasciturus erat.

28. Haec thesis ad fidem spectat, et patet.

1.^o Zacharias prophetavit dicens (8): *«Erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui; sicut locutus est per os sanctorum, qui a seculo sunt prophetarum ejus.* B. Petrus (9): *Propheta igitur cum esset (David), et sciret quia jurejurando jurasset illi Deus, de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus.* Sic et Angelus ad Mariam (10): *Dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum.* S. Matthaeus describit Christi originem (11): *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham, etc.*

2.^o 2.^o In Ps. 131, ad quem respicit supra Zacharias, dicitur: *Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eam: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam... Quoniam elegit Domi-*

(1) IV, 14; VII, 24. — (2) II, 4-6. — (3) Jo. XVIII, 36; Matth. XXVII, 11. — (4) XIII. — (5) IX, 9. — (6) III. — (7) LXII. — (8) Luc. I, 69, 70. — (9) Act. II, 30. — (10) Luc. I, 32. — (11) I, 1.

nus Sion, elegit eam in habitationem sui... Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo. Et in Ps. 88 (1): *Semel juravi in sancto meo, si David mentiar: semen ejus in aeternum manebit, et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in aeternum, et testis in coelo fidelis.* Quae quidem solum de regno Messiae aeterno possunt intelligi.

Jeremias (2) de pace per Messiam afferenda prophetans ait: *Et erit in die illa, ait Dominus exercituum: conteram jugum ejus de collo tuo, et vincula ejus dirumpam, et non dominabuntur ei amplius alieni: sed servient Domino Deo suo, et David regi suo, quem suscitabo eis.* Similiter alibi (3): *Ecce dies veniunt, dicit Dominus; et suscitabo David germen justum, et regnabit Rex et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terra... etc.*

Ezechiel, praedicens Judaeorum ad Christum conversionem et congregationem (4) ait: *Haec dicit Dominus Deus: Ecce ego assumam filios Israel de medio nationum, ad quas abierunt: et congregabo eos undique, et adducam eos in humum suam. Et faciam eos in gentem unam in terra, in montibus Israel, et rex unus erit omnibus imperans... Et servus meus David Rex super eos, et Pastor unus erit omnium eorum: in judiciis meis ambulabunt; et mandata mea custodient; et habitabunt super terram, quam dedi servo meo Jacob; et habitabunt super eam ipsi, et filii eorum, et filii filiorum eorum, usque in sempiternum: et David servus meus Princeps eorum in perpetuum.*

Alia ex libro Geneseos aperta testimonia videbis supra in Thesi, I.

30. 3.º Judaeos quoque agnovisse veram Messiae originem, elucet ex Evangeliiis: interrogante enim Domino (5): *Quid vobis videtur de Christo? Cujus filius est? Dicunt ei: David.* Et rursus (6): *Nonne Scriptura dicit, quia ex semine David, et de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus?*

Post Christi adventum et mortem Judaei eandem retinebant fidem, ut ex Rabbinorum patet libris. Hinc Tripho Justino probanti, Deum ac adorandum esse Christum, objiciebat (7): «Quomodo igitur Scriptura dicit Davidi, fore ut ex ejus lumbis filium sibi Deus assumat, et regnum ei tradat, ac in sede gloriae collo-cet?» Scilicet, quo pacto Deus esse poterit, qui filius futurus est Davidis?

(1) VV. 36-38.—(2) XXX, 8, 9.—(3) XXIII, 5.—(4) XXXVII, 21, 22, 24, 25.—(5) Matth. XXII, 42.—(6) Joan. VII, 42.—(7) Dialog. cum Triphone, 68.

THESIS IX.

Messias multa magnaue signa facturus erat.

31. 1.º Joannes discipulos suos misit, qui Dominum interrogarent (1): *Tu es qui venturus est, an alium expectamus? Et respondens Jesus ait illis: euntes renuntiate Joanni quae audistis et vidistis. Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.* Unde talibus signis suaderi, se esse Messiam venturum et expectatum, significavit Jesus. Pariter docuit (2) per miracula debuisse Christum manifestari: *Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem... etc.* Item S. Petrus ait de Christo, fuisse *Virum approbatum a Deo virtutibus et prodigiis et signis, quae fecit Deus per illum* (3).

32. 2.º Haec quidem testimonia ostendunt, quasi a posteriori, talem debuisse esse Messiam: verum id quoque praedixerunt Prophetae.

Isaias (4) dixit: *Deus ipse veniet et salvabit vos. Tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt: tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum... Et redempti a Domino convertentur.* Joël, qui in Actibus Ap. (5) laudatur, ait: *Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus; effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae... et dabo prodigia in coelo sursum, et signa in terra deorsum... etc.*

Hinc et Judaei talem expectabant Messiam, qui signa perficeret; legitur enim (6): *De turba autem multi crediderunt in eum et dicebant: Christus cum venerit, numquid plura signa faciet quam quae hic facit?* In suis autem Thalmudicis libris, licet multis Messiam deturpent fabulis, tamen magna ab illo exhibenda signa confitentur.

33. Obj. Messias ita erat venturus, ut cognosci non posset: sed signa magna faciens non potuisset abscondi: ergo. *Maj.* patet ex propheta (7): *Brachium Domini cui revelatum est? Vidimus eum, et non erat aspectus; despectum et novissimum virorum; quasi absconditus vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum...*

Resp. nego *maj.* Ad probationem autem dicendum: verba prophetae respicere Christi humilitatem et passiones, non autem ejusdem opera et virtutes: hinc ipse propheta, ibid. (8) paulo ante, ait: *Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium:*

(1) Matth. XI, 3-5.—(2) Joan. XV, 24.—(3) Act. II, 22.—(4) XXXV, 4-6, 10.—(5) II, 17, 19.—(6) Joan. VII, 31.—(7) Is. LIII, 1-3.—(8) LII, 10.

et videbunt omnes fines terrae salutare Dei nostri. Verum quia Judaei aliam sibi carnaliter finxerant Christi personam, eum non agnoverunt: qua de causa dicebat Dominus (1), post illa supra laudata verba: *Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.*

THESIS X.

Messias sanctitate et justitia praefulgens exiturus.

34. 1.º Paulus de Christo ait (2): *Talis enim decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior coelis factus; qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre.* Angelus, Christum annuntians, illum *Sanctum* simpliciter appellavit (3): *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei?*

2.º Danieli (4) dixit Angelus, adducendam per Messiam justitiam sempiternam, eumque appellat *Sanctum Sanctorum*. Et Isaias ait (5): *Quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus: et iterum (6): Ecce testem populis dedi eum, ducem ac praeceptorem gentibus.* David Messiam annuntians agebat (7): *Virga directionis, seu (juxta Hieronymum), virga recta est, virga regni tui: dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus.*

3.º Patet quoque ex thesi VI, supra (sub. n. 20) posita; etenim munus illud Messiae reconciliandi homines cum Deo, et delendi peccata, et edocendi viam sanctitatis, postulat ut sanctitate ipse ac justitia floreret.

Nota: Si quae fieri Thesi huic potest objectio, inferius, ubi de Christi D. Sanctitate, explicabitur.

THESIS XI.

Quoad tempus adventus Messiae, necessum erat tunc jam advenisse, cum tribus a Juda oriunda, et principes ab ejusdem femore nascituri, deficerent.

35. Hoc signum adventus Messiae aperte elucet in Jacob (8) celebri prophetia. *Juda, te laudabunt fratres tui...* Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus

(1) Matth. XI, 6. — (2) Hebr. VII, 26, 27. — (3) Luc. I, 35. — (4) IX 24. — (5) LIII, 9.—(6) LV, 4.—(7) Ps. XLIV, 7, 8.—(8) Genes. XLIX, 8, 10.

donec veniat qui mittendus est; et ipse erit expectatio gentium.

Nota: antequam sensum et intelligentiam explicemus prophetiae, inde enim Thesis probari debet, supponimus in ea sermonem de Messia haberi. Et sane id certum est: nam versiones omnes, et antiquissima paraphrasis Chaldaica, Messiam in voce *Schilo* intellexerunt. Ita, tum communis antiquorum Judaeorum, tum Christianorum omnium Patrum consensus. Praeterea, prorsus incredibile est, sanctum Patriarcham solas bonorum temporalium promissiones ad filios transtulisse, *Semen vero benedictum*, Messiam, non meminisse: *Congregamini*, ait filiis suis (1), *ut annuntiem vobis quae ventura sunt vobis in diebus novissimis.* Jam vero res praecipua ac nobilissima, quae ab illo expectabatur populo, erat *Semen illud benedictum* Abrahae, Isaac, ac Jacob promissum, quod quidem ab uno ex duodecim illis Jacobi filiis nasciturum erat. Insuper positivum ac perspicuum Messiae characterem notavit Jacob dicens: *et ipse erit expectatio gentium;* ut patet ex dictis supra. (sub. n. 11). Cum ergo certissimum sit a Juda per Davidem ortum ducturum Messiam non est ambigendum in hac benedictione Judae agi de Messia.

36. Prob. Thesis; singulas ejus partes cum prophetia conferendo. Dicimus primo; cum tribus. Nam Schebhet, *σκήπτρον*, significare tribum, non autem auctoritatem summam, conclamant et textus, et ipse rerum eventus (2).

Et re quidem vera, praecipuum, et quasi scopus, in hac Judae benedictione, est Messias ex eo nasciturus. Valde quidem expediebat ad Messiae adventum ut populus Dei, saltem quoad tribum ex qua erat oriturus, permaneret; ut inde impletio prophetiarum clarius eluceret (3); et plebs Dei prius visitaretur (4); et reprobatio ac dissipatio judaici populi propter Messiae negationem consummaretur (5). Ad haec autem parum, vel nihil conferebat quod suprema potestas inhaereret Judae; multum vero quod tribus illa è Juda non auferretur.

Praeterea, in illis Jacob propheticis benedictionibus agebatur de constitutione et divisione duodecim tribuum, quarum decem longe ante Messiam dispergendae erant, una autem Judae tribus autonomiam, nomenque tribus retentura usque ad Messiae

(1) Genes. XLIX, 1. — (2) Sceptrum, etiam pro regno, latine ponitur, Virgil. in l. I, *Aeneid.* v. 257, ait: «Sic nos in scepra reponis.» Seneca, in *Oedip.* v. 705, «Qui scepra duro saevus imperio regit, timet timentes.» Calepinus, *sept. linguarum*, notat: «Sceptrum... Regni insigne.» Vide Genesim XXV, 16 in hebraico ac graeco, et confer cum latino textu.—(3) Luc. I, 68-70.—(4) Ibid. et Matth. XXI, 5; Act. II, 25, 26; XIII, 46.—(5) Daniel IX, 26; Luc. XIX, 42-44.

adventum. Rem tanti momenti, et ad prophetiae subjectum maxime pertinentem, putabimusne, Jacobum latuisse vel dissimulasse (1), qui dixit, velle se novissima filiis suis annuntiare?

37. Tandem, eventus ipse cogit rem ita intelligere. Tribus enim è Juda non fuit, donec veniret Messias, dissipata; post cujus adventum dispersa etiam fuit sicut aliae Israël tribus: at auctoritas summa saepe saepius ante Christi adventum in aliis tribubus, vel vicinarum gentium regibus extitit.

Imo literalis ipse sensus aliam refugit interpretationem. Nam *σκηπη*, *schebhet*, aliquid debet significare quod originem a Juda ducebat, *mi Juda*; atqui tribus, utique a Juda oriatur, non autem auctoritas summa, quam, cum tribus, vel ejusdem princeps aliquis illa potitus est, non a Juda, sed a solo Deo accepit. Hunc sensum exhibet Athanasius (2): «Jacob quoque usque ad ipsum (Christum) permansurum Judaeorum regnum, »his verbis pronuntiat: *Non deficiet princeps...*» Et Cyrillus Hierosolym. (3) ait: «Signum igitur dedit Christi adventus, cum »desinet principatus Judaeorum.» Augustinus argumentatur advenisse Dominum etiam ex cessatione regni Judaeorum (4): «Itaque ipso jam veniente Domino, eversum est regnum Judaeorum, et sublatum est a Judaeis. Modo non habent regnum, quia »nolunt cognoscere verum regem.» Confirmat. Chrysost. hom. 67, in Gen. Andreas Cret. *orat in Natalem Deiparae*.

38. Secundo, dicimus: Cum tribus a Juda, id est, filio illo Jacobi. Nam sacro textui repugnat, hanc promissionem referre, seu extendere ad Israël universum; vox enim Judas, tum temporis, cum Moyses scribebat, et Jacob locutus est, nomen unius erat filii, uniusque tribus. *Oh filii*, dixit Jacob indicans cui benedicebat; et Moysis ait (5): *Benedixit singulis* (fratribus et tribubus), *benedictionibus propriis*. Unde Eusebius, putans benedictionem hanc de universo Israël intelligendam, nullatenus audiendus.

39. Tertio, adjicimus cum tribus a Juda oriunda. Nam, quod aliqui putant, promitti permansuram in Juda «auctoritatem super omnem Israël usque ad Messiam,» et factis contradicit, et contextui. Nam Judas ipse, cui, ut diximus, benedicebat Jacob, nullam accepit super universum Israël auctoritatem, sed solum ut tribum efformaret, et ut principes ex eo nascerentur: ipsa autem Judae tribus non nisi Salomonis et Davidis tempore primatum et auctoritatem super totum

(1) Gen. XLIX, 1.—(2) *De Incarn. Verbi* 41, 42. *Dei*.—(3) *De Incarn. Christo*, Catech. XII.—(4) *Enarr. in Ps. LXXXV*.—(5) Gen. XLIX, 28.

obtinuit Israël. Tempore Jacob erant Josepho subjecti, deinde Moysi, Josue... etc.

40. Quarto, dico, Cum tribus a Juda oriunda, et principes ex ejusdem femore nascituri. Etenim, *sceptrum de Juda*, non significat, ut aliqui contendunt, *inhaerentiam* sceptri in Juda, quasi formam in subjecto: sed designat talis sceptri originem, *de Juda, a Juda*; quemadmodum, cum dicitur, *dux de femore ejus*: eadem enim praepositione *mi*, in hebraico, utraque relatio significatur. Jam vero, *Dux de femore ejus*, non innuit, quod femur sit subjectum in quo permaneat et inhaereat Dux, sed principium a quo orituri erant duces.

Pari modo intelligendum, *sceptrum de Juda*, id est, a Juda oriturum ac processurum.

Quinto, tandem, diximus. Cum tribus et principes deficerent, necessum erat jam advenisse Messiam. Id enim aperte asserit prophetia: *Non auferetur sceptrum de Juda et dux... donec veniat, qui...* etc.

SCHOLIA.

Ad celeberrimam hanc Jacobi prophetiam plenius intelligendam, et ad aliquas praeveniendas difficultates, propter quas diversi interpretes ad diversas abeunt interpretationes, aliqua adjicienda est explanatio. Sermo est in prophetia, I.º de Benedictione, II.º de Scepro, III.º de Duce et IV.º de Messia. De singulis pauca.

§ I.

De Benedictione.

41. Benedictio a Deo Abrahae saepe indulta (1), nec non Isaac (2), eadem et Jacob fuit concessa et confirmata (3), ut notavit Ecclesiasticus (4): *Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus et testamentum confirmavit super caput Jacob; agnovit eum in benedictionibus suis, et dedit illi haereditatem, et divisit illi partem in tribubus duodecim*. Ejusmodi benedictiones duplicem amplectantur bonorum promissionem: nempe, bonorum temporalium largitionem; scilicet terra promissionis, multitudo populorum, et principum; nec non aliud superioris ordinis bonum, *Semen Benedictum*, per quod forent omnes gentes benedicendae.

(1) Gen. XII, 2; XVIII, 18; XXII, 17, 18.—(2) *Ibid.* XXVI, 4.—(3) *Ibid.* XXVIII, 4, 14.—(4) XLIV, 25, 26.